



**De usuris conclusiones, quas Divina divini numinis adspirante gratia, praeside clarissimo et consultissimo viro, D. Matthaeo Entzino, V. I D. praestantissimo, & in inclyta Tubingensium Academia L L. Professore celeberrimo, Præceptore suo debita pietate ac obseruantia colendo pro virium tenuitate, ad 17.**

**Februrarij publicæ exercitationis causa, in Auditorio Juriscons. horis consuetis tueri ac propugnare conabitur M. Joannes Georgius Kienlin Blauofontanus.**

<https://hdl.handle.net/1874/423697>

DE VSVRIS

Conclusiones,

QVA S

*Diuina diuini numinis adspirante  
te gratia:*

PRAESIDE

CLARISSIMO

ET CONSULTISSIMO VIRO,

D. MATTHAEO ENTZLINO, V. I. D. PRAE-  
stantissimo, & in inelyta Tubingenſium Academia LL. Professore cele-  
berrimo, Praeceptore ſuo debita pietate ac obſeruantia colendo pro-  
virium tenuitate, ad 17. Februarij publicae exercitationis cau-  
ſa, in Auditorio Iuriſconſ. horis conſuetis tue-  
ri ac propugnare co-  
nabitur

*M. Ioannes Georgius Kienlin Blauſfontanus.*

T V B I N G A E,

Apud Georgium Gruppenbachium.

M. D. LXXXVII.

DE VSVRIS

Consuetudines

1541

Quibus dicitur nonnullis  
in quibusdam

ARTICULI

CLARISSIMO

ET CONSVETISSIMO VRO

...  
...  
...  
...  
...

...  
...

...

...

...



# DE VSVRIS.

## Conclusio I.

**U**icet multis iam seculis, multorum sinistra fuerint de Vsuris iudicia, existimantium, exactionem earum, esse pestem ac tabem Rerum publicarum presentissimam, exterminandam ac è medio tollendam esse, eos tamen minus dextrè de toto hoc negotio sensisse, veritati consentaneum censemus.

### II.

Nam neque Canonum constitutionibus, nec civilium legum dispensationi, neque rationis naturalis aequitati, nec ipsis quoque sacrarum literarum præceptis, aduersari legitimum Usurarum modum, dici potest.

### III.

Eam igitur ob causam non eodem iure omnes, quæ hac appellatione veniunt, Usura æstimanda, verum aliquo cum discrimine accipiendæ sunt.

### IV.

Ac principio sciendum, Usuram quæ ab usu nomen habet, interdum generaliter usurpari pro qualicunque, ex qualibet etiam causa ad sortem accessione: aliquando verò pro eo solo, quod sorti in contractu mutui adijcitur.

### V.

Prioris certè generis Usura, cum instar fructuum sint, & vicem fructuum obtinere dicantur, iure improbari non possunt, sed summa potius aequitatis ratione sustinentur.

### VI.

Cuiusmodi est, quod Emptor cui possessio rei tradita est, Usuras, quæ nihil aliud sunt, quam vera fructuum à tempore mora irregularis perceptorum æstimatio, præstare cogitur.

### VII.

Eorum tamen æstimatio fructuum, quos ipse singulari sua percepit

cepit industria sub usurarum nomine peti non potest. Nam contentus esse debet venditor eorum fructuum, quos ipse verisimiliter percipisset, commodo.

VIII.

Cui hoc consequens est, si venditor nullos ex re vendita fructus percipisset, eas quoque usuras tunc ab emptore venditorem petere non posse.

IX.

Et si ex aduerso non refert venditorem soluto etiam precio nihil exinde lucraturum fuisse: Nam nihilominus fructus ab emptore ex re tradita perceptos, quos ipse potuisset percipere, usurarum nomine consequitur.

X.

Quod si non solum tradita res, sed insuper etiam emptor pretium ut numeraret, ritè admonitus fuerit, non fructuum tantum sub usurarum exactiōe aestimatio, sed etiam vera pretij usura, ex mora regulari debita, peti potest.

XI.

Sic tamen, ut vnius consecutio alterius consumat petitionem, quatenus scilicet, utriusque concurrat quantitas. Nam quod in vno plus est, quam in altero, rectè exigitur.

XII.

Quari potest, si venditor partem solum rei tradiderit, utrum pro rata partis tradite eiusmodi usura in pensationem fructuum debeantur? Et deberi eas existimamus, licet emptor moram fecisse non videatur.

XIII.

Si venditor rem tantum obtulit, emptore precij soluendi nomine interpellato, usuras etiam precij mora emptoris non soluti consequitur: fructibus tamen interim perceptis in has computatis.

XIIII.

Errant illi qui putant, si nec emptor nec venditor in mora sit, posse illum petere rem cum fructibus, à tempore contractus perceptis, huic precio cum usuris oblato.



## XV.

Posterioris generis usura, qua scilicet ex mutuo proficiuntur,  
& ipsa diuersam inter se rationem obtinent.

## XVI.

Tametsi enim, quae propter solum mutuationis exiguntur officium,  
quod debet esse gratuitum, execrabiles & abominandas esse, non in-  
iuri concedamus: eò quòd inhonestum sit, pro eo quod gratis erat pra-  
standum, mercedem accipere: itemq; ea sit natura mutui, ut recipi-  
ens ad restituendum idem genus tantum, nec in plus obligetur, aliud  
tamen ius in ijs, quae compensatoria vocantur, obtinet.

## XVII.

Ea enim, quia compensatio sunt sortis non dubiè cum damno  
creditoris consumpta, & eius quod interest creditoris, pecunia sua  
carere, aliumq; ea interim uti: non sine euidenti & manifesta equi-  
tatis ratione permissa sunt.

## XVIII.

Nec enim officio contrarium est, sic alium iuuare, ut te interim  
serues indemnem.

## XIX.

Atq; omninò etiam ea, quae punitoria vocantur, tolerandae sunt,  
tum quòd propter pecuniam die prestituta non solutam, damnum  
creditoris praesumitur, tum quòd mora debitoris pecuniam frustra-  
toriè non soluentis, impunita esse non debet.

## XX.

Hinc faciliè colligi potest, compensatorias usuras nihil aliud esse,  
quam accessionem quandam pecuniae, vel propter usum eiusdem, vel  
propter moram non soluentium, legitimè exactam.

## XXI.

Diuersis autem ex causis, haec debentur usurae: ex pacto bona fi-  
dei iudicij in continenti adiecto: in contractibus verò stricti iuris  
ex stipulatione.

## XXII.

Quamuis ex pacti quidem conuentione soluta, neq; ut indebi-

repetantur, neq. in sortem accepto ferenda sint: in posterum tamen eas solvere non cogitur, licet pluribus annis soluerit.

XXIII.

Per retentionem quoque pignoris usura nudo pacto promissa seruari possunt, modò & pro usuris pignus acceptum sit.

XXIII.

Item, ex mora debentur in omnibus bona fidei iudicijs, quibus etiam legata & fidei commissa equiparantur.

XXV.

Sed ne hæc licentia in immensum propagetur, & eagetur effrenata habendi cupiditas, modum certum Iustinianus constituit.

XXVI.

Vi illustribus personis & nobilioribus, quibus alia quoque negotiationes interdictæ sunt, trientales duntaxat exercere, mercatoribus autem, qui alioquin pecunia questum facere solent, besses, cæteris semisses, pro traiectitia verò pecunia, & alijs quibusdam iure expressis casibus, centesimas exigere liceat.

XXVII.

Quam taxationem neque occasione consuetudinis in regione obtinentis, aliòve prætextu, iudici excedere permittitur.

XXVIII.

Vnde si quis modum huius excesserit constitutionis nullam de superfluo habet actionem, sed & si acceperit quid, hoc in sortem imputandum erit.

XXIX.

Ipsæ enim usuræ illicitæ sorti mixtæ tantum non debentur, sortem tamen non vitiant.

XXX.

In tantum verò prædicti limites custodiendi sunt, ut præteriti temporis usuras in sortem redigere non liceat, & earum iterum usuras stipulari.

XXXI. Ne-



## XXXI.

Neque etiam per medias personas, quibus hoc ita interdictum non est, maiores usuras stipulari possumus.

## XXXII.

Quinetiam ea usurarum restrictio est, ut creditorem, qui certis annis minores usuras accepit, quam stipulatus est, maiores ex stipulatu petentem, taciti pacti exceptione submouendum esse placuerit.

## XXXIII.

Contra tamen is, qui minores usuras promisit, postea verò aliquandiu maiores sciens præsstitit, maiores solutas per indebiti conditionem non repetet, neque in sortem computare poterit, secus si errore ductus per imprudentiam eas soluisset.

## XXXIIII.

Anni similiter redditus, ex sacris imperij constitutionibus ad certum modum redacti sunt.

## XXXV.

Et si verò omnes in fraudem legitimarum usurarum machinationes prohibita sunt: *ἀντιχρησίων* tamen ob incertum fructuum eventum legitimos usurarum terminos licite egreditur.

## XXXVI.

Cæterum si quis præfinitum usurarum modum excefferit, ei infamiae nota irrogabitur, eoque, quod supra legitimum usurarum modum stipulatus fuerit, detractò stipulationi, id quod solutum est, sorti imputabitur.

## XXXVII.

Improbi præterea feneratorum per magistratum cuiusque loci, criminaliter extra ordinem rectè coercentur.

## XXXVIII.

Deberi usurae desinunt, si fors exoluta fuerit, aliòve modo principalis dissoluta obligatio.

## XXXIX. Et



XXXVIII.

*Et quidem si pars modo sortis soluta sit, eius qua soluta est partis, usura non amplius debentur.*

XL.

*Hinc & oblatione cum consignatione & depositione sortis, usurarum cursus sistitur.*

XLI.

*Quinimò sententia affirmantium, oblationem solam, loco & tempore opportuno ritè factam, etiam sine consignatione, & depositione, à præstatione usurarum liberare, meritò prævaluit.*

XLII.

*Si denique ad duplum, cui simplum sortis inest usurarum cursus processerit, siue summatim, siue particulatim eadem soluta sint, usura ipso iure currere desinunt.*

XLIII.

*Et hæc quidem adeò vera sunt, ut qua duplum excefferunt usura, nec per pignoris retentionem servari possint, quod tamen iure antiquo fuerat permissum.*

ULTIMA

*Tandem reo in sortem condemnato, si sit bona fidei negotium, nullam de usuris, que forsitan debentur, superesse petitionem concludimus, &c.*

FINIS.